

illae immortales cum iis omnibus conditionibus, unde immortalitas consequitur: hae vero mortales cum omnibus aliis, unde mortalitas: sunt idem progressione ut pater, filius, nepos, pronepos, σειρᾶ, *cathena* non autem essentia, numero ac perfectione, et idem sunt hae cum illis in praedicatione, quod quid est, non autem in quale quid est.

Estque ταῦτο εἶδος τῶν ἴδεῶν καὶ τῶν μετεχόντων<sup>xviii</sup> *eadem species idearum et participantium*, analoga uti vocant, et ὅμοιον, quod Plato asserit. Non tamen eo modo:<sup>56</sup> *Si quos vocet hominem et Calliam et lignum, nullam communionem respiciens ipsorum*. Non enim apposite lignum cum Callia uti aequivoca confert, cum nulla sit inter ea communio propinqua aut similitudo.

Longe aptius initio Categoriarum hominem et pictum hominem. Neque verum est inter ideas et Calliam nullam esse communionem, est enim et speciei et progressionis communio.

Quod autem subnectit:<sup>57</sup> *Quid nam conferunt formae aeternis sensibilium vel iis, quae generantur et corrumpuntur, neque enim motus neque mutationis ullius sunt causae ipsis*. Sensibilia aeterna, puto, vocat coelum et astra et elementa: si coelum factum est, ait 2. Physico capite 6:<sup>58</sup> *Itaque si maxime coeli causa, casus, necesse prius mentem causam et naturam esse et aliorum multorum et huiuscem universi*. Et primo De partibus capite 1:<sup>59</sup> *Quare magis consentaneum est coelum factum esse a tali causa, si factum est, et esse ob talem causam potius quam animalia mortalia*. Itaque si coelum factum est,

<sup>56</sup> εἰ τις καλοίη ἄνθρωπον τὸν τε Καλλίαν καὶ τὸ ξύλον, μηδεμίαν κοινωνίαν ἐπιβλέψας αὐτῶν. [ASCL. in Metaph. 83, 19.]

<sup>57</sup> τί ποτε συμβάλλεται τὰ εἶδη τοῖς αἰδίοις τῶν αἰσθητῶν, ἢ τοῖς γινομένοις καὶ τοῖς φθειρομένοις. οὔτε γὰρ κινήσεως οὔτε μεταβολῆς οὐδεμιᾶς ἔστιν αἴτια αὐτοῖς. [ARIST. Metaph. 991a.9 – 11]

<sup>58</sup> ὥστ' εἰ ὅτι μάλιστα τοῦ οὐρανοῦ αἴτιον, τὸ αὐτόματον, ἀνάγκη πρότερον νοῦν αἴτιον καὶ φύσιν εἶναι καὶ ἄλλων πολλῶν καὶ τοῦδε τοῦ παντός. [ARIST. Ph. 198a.10 – 13]

<sup>59</sup> διὸ μᾶλλον εἰκὸς τὸν οὐρανὸν γεγενῆσθαι ύπὸ τοιαύτης αἰτίας, εἰ γέγονε, καὶ εἶναι διὰ τοιαύτην αἰτίαν μᾶλλον ἢ τὰ ζῶα τὰ θνητά. [ARIST. P A 641b.15 – 18]

xviii ARIST. Metaph. 991a.2 – 3.